



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. IV. Opinio Suaris refellitur, & D. Thomæ sententia stabilitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

rentibus per modum principii ad alios imperandum, concedo: gratia & charitate merè concomitanter & materialiter se habentibus ad ipsos, nego.

156. Objicies ultimum: Ut opera moraliter bona sint satisfactoria de condigno pro peccatis, nõ requiritur relatio seu imperium charitatis. Ergo neque ut sint meritoria de condigno vitæ æternæ.

Respondeo dato Antecedente, de quo in Tractatu de penitentia, negando consequentiam & paritatem: quia aliunde petitur condignitas satisfactionis, & aliunde condignitas meriti, condignitas enim satisfactionis sumitur ex adæquatione poenæ cum culpa, juxta illud Apocal. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*; ad hoc autem ut poena sit æqualis culpæ, charitatis imperium non requiritur meritum verò de condigno vitæ æternæ fundatur in proportionem actus cum tali præmio, quam actus virtutum moralium acquiritarum, sine actuali aut virtuali saltem charitatis imperio, habere consequentur.

S. IV.

Opinio sua resellitur, & D. Thomæ sententia restituitur.

Deo secundo, actus fidei & spei, ac virtutum moralium infusarum, ab homine iusto elicitos, nisi à charitate formaliter aut saltem virtualiter imperentur, non esse meritorios de condigno præmij essentialis, sed tantum accidentalis.

157. Hanc conclusionem ita clarè & expressè docet S. Thomas variis in locis, ut de eius mente nullus dubitandi locus remaneat. In primis enim hic art. 4. in corp. sic dicitur: *Vita æterna in Dei fruitione consistit: motus autem humana mens ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliæ virtutes imperantur à charitate. Et ideo meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus à charitate imperantur.* Ubi loquitur de actibus omnium virtutum, etiam fidei, & virtutum moralium infusarum. Unde in solut. ad 3. ait: *Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galat. 5. Similiter etiam actus patientiæ & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate hæc operetur: secundum illud 1 ad Corinth. 13. Si iradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuerim, nihil mihi prodest.*

Deinde idem S. Doctor 1. p. quæst. 12. art. 6. diversitatem visionis beatificæ reducit in diversitatem luminis gloriæ, diversitatem verò luminis gloriæ, in diversitatem charitatis, ait enim: *Intellectus suus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate: quia ubi major est charitas, ibi est maius desiderium, & desiderium quodammodo facit desiderantem aptum & paratum ad susceptionem desiderati: unde qui plus habebit de charitate, perfectius Deum videbit, & beator erit.* Similiter in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 4. quæst. hunc. 4. docet diversitatem mansionum in celo, ex sola charitate, tanquam

A ex meriti radice, defumi: *Actus noster (inquit) non habet quod sit meritorius ex ipsa substantia actus, sed solum ex habitu virtutis quo informatur: vis autem merendi est in omnibus virtutibus ex charitate, quæ habet ipsum finem pro obiecto: & ideo diversitas in merendo (premiæ essentialis) tota reducitur ad diversitatem charitatis, & sic charitas via distinguit mansiones per modum meriti.* Item 1. p. quæst. 95. artic. 4. hæc scribit: *Quantitas meriti ex duobus pensari potest: uno modo ex radice charitatis & gratiæ; & talis quantitas meriti respondet præmio essentiali, quod consistit in Dei fruitione: qui enim ex majori charitate aliquid facit, perfectius Deo fruatur. Alio modo pensari potest quantitas meriti, ex quantitate operis: quæ quidem est duplex, scilicet absoluta, & proportionatis vidua enim quæ misit duo era minuta in gazophylacium, minus opus fecit quantitate absoluta, quam illi qui magna munera posuerunt, sed quantitate proportionali vidua plus fecit secundum sententiam Domini, quia magis ejus facultatem superabat. Vtraque tamen quantitas meriti respondet præmio accidentalibus, quod est gaudium de bono creato.*

Denique idem Doctor Angelicus super cap. 3. Epistolæ ad Corinth. lect. 2. hæc verba Apolloli, *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, exponens, hæc habet: Præmium laboris nostri attenditur primo secundum formam charitatis, cui respondet merces essentialis: unde dicitur Ioan. 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum: unde qui ex majori charitate laborat, licet minorem laborem patiat, plus de præmio essentiali accipiet. Secundo ex specie operis: sicut enim in rebus humanis ille magis præmiatur, qui in digniori opere laborat, sicut architector, quàm artifex manualis, licet minus labores corporaliter: ita etiam in rebus divinis ille qui in nobiliori opere occupatur, maius præmium accipiet, quantum ad aliquam prærogativam præmij accidentalibus, licet forte minus corporaliter labores: unde aureola datur doctoribus, virginibus, & martyribus. Ubi manifestum est, S. Thomam loqui de opere ex virtute supernaturali & infusa procedente, quia aureola, & quodcumque aliud præmium accidentale, correspondere non potest virtuti naturali & acquisitæ, ex propria ipsius bonitate.*

Potest etiam conclusio multiplici ratione suaderi. Prima est: Perfectio vitæ Christianæ essentialiter consistit in charitate: Ergo meritum præmij essentialis in illa sola fundatur; subindeque nulli alteri virtuti, potest competere, nisi ex ejus motione & imperio. Consequentia manifesta est: præmium enim essentialiale patriæ correspondet perfectioni essentiali vitæ, unde tanto major quis erit in beatitudine, quanto præstantior fuit in perfectione vitæ Christianæ. Antecedens verò docetur à D. Thoma 2. 2. quæst. 184. art. 1. ubi illud probat in argumento sed contra, ex illo Apolloli ad Colos. 3. *Super omnia charitatem habere, quod est vinculum perfectionis*; subdens: *quia scilicet omnes alias virtutes quodammodo ligat in unitatem perfectam.* In corp. verò articuli, sic dicitur: *Vnusquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio: charitas autem est quæ unit nos Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis, quia qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, ut dicitur 1. Ioan. 4. Et ideo secundum charitatem specialiter ascendit perfectio Christianæ vitæ. Et in resp. ad 2. ait: *Dupliciter potest dici aliquis perfectus: uno modo simpliciter; quæ quidem**

perfectio attenditur secundum id quod per se ad ip-
sum vel naturam. puta si dicatur animal perfectum,
quando nihil ei deficiat ex dispositione membrorum, &
aliis huiusmodi que requiruntur ad vitam animalis.
Alio modo dicitur aliquid perfectum secundum quid;
qua quidem perfectio attenditur secundum aliquid ex-
terius adiacens. puta in albedine, vel nigredine, vel in
aliquo huiusmodi. Vita autem Christiana specialiter
in charitate consistit, per quam anima Deo coniungitur:
unde dicitur Ioan. 3. Qui non diligit, manet in morte.
Et ratio secundum charitatem attenditur simpliciter
perfectio Christiana vite, sed secundum alias virtutes
secundum quid. Ex quo sic licet arguere: Perfe-
ctioni vite Christiane simpliciter tali correspon-
det in patria primum quod est tale simpliciter,
tali correspondet in patria primum quod est tale
simpliciter, & per consequens quod est essentia-
le perfectioni ordinatur perfectio, & infallibiliter
ad consecutionem finis, nisi medio auxilio effi-
caci. Similiter permissio peccati est effectus præ-
destinationis, & tamen non conducit ad finem
prædestinationis consequendum, nisi mediâ pec-
nitentiâ, vel humilitate. Imò omnia merita,
etiam actus charitatis, non conducunt ad conse-
quendam gloriam, nisi medio dono perseveran-
tiæ. Denique quando inter primum & ultimum
finem sunt plures fines intermedij, ratione fi-
nis intermedij magis propinqui ultimo fini,
ceteri fines & media ultimum finem attingunt:
unde in ordine supernaturali omnes actus virtu-
tum moralium, tam infusarum, quam acquirita-
rum, debent ferri in finem ultimum, medio ali-
quo, quod immediatius & proximius ipsum at-
tingat; quod non potest esse aliud quam actus
charitatis, cuius objectum est ultimus finis ordi-
nis supernaturalis; & per consequens solum ex
imperio charitatis habent quod sint meritorij
præmij essentialis.

Huius doctrinæ & rationi D. Thomæ SS. Pa-
trum testimonia suffragantur: nam S. Augustinus
lib. de natura & gratia cap. 42. sic ait: *Charitas est
persona plenissima, perfectissimaque iustitia*, Et cap.
ultimo *Charitas inchoata inchoata iustitia est:
charitas perfecta perfecta iustitia est; charitas perfecta
perfecta iustitia est*. Et D. Bernardus serm. 27. in
Cant. magnitudinem animæ, seu perfectionem ei-
us essentialem in ordine supernaturali, ex magi-
tudine seu perfectione charitatis docet esse meti-
endam. *Quantitas cuiusvisque animæ (inquit)
estimatur de mensura charitatis: quam: ut verbi gratia,
qua multum habet charitatis, magna sit; qua pa-
rum, parva; qua vero nihil, nihil: dicente apostolo, si
nihil charitatem non habuerit, nihil sum.*

Secunda ratio: Per illud solum meremur præ-
mium essentialis (quod consistit in fruitione ulti-
mi finis) per quod solum in huiusmodi finem
tendimus: Sed per solum charitatem in Deum ut
in finem ultimum tendimus; nam per actus vir-
tutum moralium acquiritarum non tendimus nisi
in bonum honestum ordinis supernaturalis; per
actus vero virtutum moralium infusarum, in bo-
num honestum ordinis supernaturalis: Ergo per
solos actus à charitate elicitos, vel imperatos,
præmium essentialis meremur.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio:
Nulla virtus potest ferri extra suum objectum
specificativum, & elevari ad attingendum obje-
ctum specificativum alterius virtutis superioris,
nisi medio eius imperio ad talem finem referatur
& ordinetur: Sed Deus, ut ultimus finis superna-
turalis, est objectum proprium, & specificativum
charitatis: Ergo nulla virtus potest ferri in De-
um ut ultimum finem supernaturalem, nisi me-
diante imperio seu motione charitatis. Unde D.
Thomas hic art. 4. ad 1. *Charitas in quantum ha-
bet ultimum finem pro objecto, movet alias virtu-
tes ad operandum: semper enim habitus ad
quem pertinet finis, imperat habitibus ad quos
pertinent ea que sunt ad finem.*

Confirmatur amplius: In quocunque genere
sunt entia imperfecta & perfecta, imperfecta

A ratione perfectorum ordinatur ad consecutio-
nem finis illius generis; imperfectiora enim non
immediate & proxime attingunt consecutionem
finis, sicut perfectissima: Ergo cum virtutes mo-
rales, tam acquirite, quam infuse, sint imper-
fectiores charitate, quæ est prima & præstantissi-
ma omnium virtutum, non possunt perfecte
attingere deum ut ultimum finem supernatura-
lem, nec suos actus in illum referre, nisi median-
te imperio charitatis. Consequentia patet: Ante-
cedens vero variis exemplis declaratur & suade-
tur. Nam in serie prædestinationis, licet omnia
media & effectus prædestinationis ordinentur ad
consecutionem eiusdem finis, nunquam enim ordi-
natur medio altero perfectiori, v. g. auxilia suf-
ficientia collata prædestinatis, in veriori senten-
tia, sunt effectus prædestinationis, & tamen non
ordinantur perfecte, efficaciter, & infallibiliter
ad consecutionem finis, nisi medio auxilio effi-
caci. Similiter permissio peccati est effectus præ-
destinationis, & tamen non conducit ad finem
prædestinationis consequendum, nisi mediâ pec-
nitentiâ, vel humilitate. Imò omnia merita,
etiam actus charitatis, non conducunt ad conse-
quendam gloriam, nisi medio dono perseveran-
tiæ. Denique quando inter primum & ultimum
finem sunt plures fines intermedij, ratione fi-
nis intermedij magis propinqui ultimo fini,
ceteri fines & media ultimum finem attingunt:
unde in ordine supernaturali omnes actus virtu-
tum moralium, tam infusarum, quam acquirita-
rum, debent ferri in finem ultimum, medio ali-
quo, quod immediatius & proximius ipsum at-
tingat; quod non potest esse aliud quam actus
charitatis, cuius objectum est ultimus finis ordi-
nis supernaturalis; & per consequens solum ex
imperio charitatis habent quod sint meritorij
præmij essentialis.

Tertia ratio: Omne meritum vite æternæ si-
mul etiam incrementum charitatis meritum est, ut
communiter docent Theologi: Sed charitas non
augetur nisi per actus ab ipsa elicitos, vel impe-
ratos, ut frequentius docent Theologi in Trac-
tatu de charitate: Ergo illa solum opera meri-
toria sunt vite æternæ, quæ vel sunt actus chari-
tatis eliciti, vel ab ipsa imperati,

Quarta ratio: Non est æquum, nec rationi
consonum, quod ancillæ & pedisseque habeant
idem præmium, & eandem coronam, ac domina
& regina, nisi ex eius imperio: Sed charitas est
regina & domina aliarum virtutum, quæ sunt ve-
luti eius ancillæ & pedisseque: Ergo charitati spe-
cialis debetur corona, nimirum gloria essentialis,
quæ proinde non tribuitur aliis virtutibus, nisi ex
eius imperio,

Quinta ratio: Ut actus sit meritorius vite æter-
næ, debet in bonum Dei præmiantis referri, ut
art. 2. ostendimus, explicando conditiones ad
meritum requisitas: Sed opera aliarum virtutum
non referuntur in bonum divinum, nisi à charita-
te, quæ sola bonum divinum, seu Deum ut in se
bonum respicit; si des enim tendit in Deum, ut est
prima veritas; spes, ut est bonum nostrum, &
consequenter ex propria ratione bonum Dei non
respiciunt; virtutes vero morales acquirite, vel
infuse; quæ in voluntate, aut in appetitu sensiti-
vo resident, ordinantur ad reddendum debitum
Deo, vel proximo, vel ad moderandas & rationi
subjiciendas passiones inordinatas appetitus irra-
cibilis, vel concupiscibilis: Ergo opera aliarum

virtutum non sunt meritoria vitæ æternæ, nisi ex charitatis imperio. Unde D. Augustinus de Spiritu & littera cap. 14. cum dixisset *Mandatum non servari* (utique fructuose) *nisi fiat ex amore iustitiae*, rationem subiungit, dicens: *Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit.* Et ad id probandum adducit illud Apostoli ad Galat. 5. *In Christo 1 esu neque circumcisio alicui valet, neque praputium, sed fides qua per charitatem operatur.* Item in Scriptura ipsa patientia martyrij, quæ est actus præstantissimus fortitudinis, non coronatur, nisi ratione dilectionis: dicitur enim Jacobi 1. *Beatus vir qui sustinet tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromissit Deus diligentibus se:* ubi promissio mercedis non fit patientibus, sed diligentibus. Similiter 1. ad Corinth. 2. bona seu dona invisibilia gloriæ cœlestis dicuntur preparata soli charitati: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis qui diligunt illum.* Cui resonat oratio illa Ecclesiæ, Dominica 3. post octavas Trinit. *Deus qui diligentibus de bona invisibilia preparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut se in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium sperans, consequamur.* Denique Apocal. 21. Angelus mensurâ arundinæ aureæ metitur portas, & murum cœlestis Jerusalem, ut per hoc significaret charitatem esse mensuram gloriæ essentialis, & gradus luminis gloriæ commensurari gradibus charitatis; juxta illud Augustini lib. 83. questionum, quæst. 46. *Anima quantum charitati adhaerescit, tantum lumine gloriæ illustrabitur.* Cujus vestigium in hærens Angelicus Doctor 1. p. quæst. 12. artic. 6. supra citato ait: *Plus participabis de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate.*

§. V.

Corollaria præcedentis doctrine.

EX dictis inferes primò, in actibus virtutum 166. infusarum, & acquiritarum, cum ex charitatis imperio procedunt, distinguendam esse duplicem bonitatem; unam quæ ipsis competit ex vi propriæ linear, per ordinem ad proprium & connaturale objectum; & aliam quam habent ex charitate derivatam, per quam ordinantur in finem ultimum. In prima bonitas fundatur meritum præmij accidentalis; in secunda verò meritum præmij essentialis, ut ostensum est. Quare si essent duo homines, quorum unus per actum remissum charitatis pateretur martyrium, alter verò per intensiorem actum daret potum aquæ frigide, iste magis mereretur de præmio essentiali, alter verò consequeretur majus præmium accidentale, haberet enim aureolam martyrij, quæ isti non daretur. Unde Chryostomus super illud Marci 9. *Quisquis dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, non perdet mercedem suam,* relatus à D. Thoma in catena aurea, sic ait: *Non præmium dati, sed affectus dantium, facit opus dignum mercede.* Aliqui etiam existimant, cum qui continuat per aliquod tempus, aut multiplicat actus virtutum infusarum, vel acquiritarum, etiam ex imperio charitatis, & non elicit actus intensiores illius, mereri quidem majus præmium accidentale, non tamen majus præmium essentialis, sed idè pluribus ritualis: ex quo habebit specialem glo-

A riam accidentalem supra alios, qui non ita multiplicarunt aut continuarunt charitatis actus. Cuius sententiæ favere videtur D. Thomas locis citatis, & S. Vincentius Ferrerius ferm. 4. in septuagesima, ubi hæc habet: *Meritum essentialis seu principale non computatur secundum multiplicationem operum, vel durationem temporis, sed majorem charitatem, juxta illud Augustini: Non numero sitas operum, non diuturnitas temporum, sed major charitas, majorque voluntas, auget præmium.* Hanc doctrinam si bene considerarent tepidi, melius sibi caverent, & in actus ferventiores charitatis prorumpentes, non ornandæ solum quibusdam gaudiorum accidentalium flocciculis coronæ, sed essentiali præmio ampliando & augendo diligentius studerent.

B Inferes secundo, quod si aliquis post acceptam gratiam in sacramento poenitentiae cum sola attritione, eliciat actum alicujus virtutis acquisite, vel infusæ: temperantiæ v.g. vel religionis, & morietur statim, antequam actum charitatis eliciat, non obtinebit gloriam essentialis ex merito, & titulo præmij, sed duntaxat titulo hæreditatis, in quantum erit filius Dei adoptivus per gratiam: cum enim charitas sit radix meriti vitæ æternæ, seu præmij essentialis, repugnat dari tale meritum, nisi aliquis ejus actus præsupponatur. Habebit tamen ratione illorum actuum gloriam aliquam accidentalem, quia sicut omnis actus malus aliquo poenâ punitur, ita & omnis bonus aliquo præmio, sive accidentali, remuneratur.

C Inferes tertio, actus aliarum virtutum, quantumque perfectos, vel intensos, non mereri augmentum gratiæ & charitatis, nisi à charitate, virtualiter saltem, impetrati sint: cum enim præmium essentialis, in clara Dei visione consistens, intentioni gratiæ & charitatis proportionetur & adæquetur, eodem modo philosophandum est de merito augmenti gratiæ & charitatis, ac de merito præmij essentialis: unde si actus aliarum virtutum præmium essentialis mereri nequeant, nisi à charitate, virtualiter saltem, impetrantur, non poterunt etiam, sine ejus imperio, augmentum gratiæ & charitatis promereri.

D Inferes quartò, virtutes morales infusæ non posse augeri, nisi etiam charitas augeatur. Ratio est, quia voluntas non potest ferri intensius in media, nisi etiam intensius feratur circa finem; cum finis sit ratio volendi & eligendi media ad ipsum conducentia: Sed virtutes morales infusæ versantur circa media, charitas verò attingit ultimum finem, qui est objectum specificativum illius, ut supra declaravimus: Ergo repugnat virtutes infusæ augeri, nisi etiam habitus charitatis intendatur. Unde actus virtutum moralium infusarum includunt imperium charitatis, & sine illo esse nequeunt, ut colligitur ex D. Thoma supra quæst. 65. art. 2. ubi docet omnes virtutes morales infusæ esse connexas charitati, sicut acquisite sunt connexæ prudentiæ: Ergo sicut nullus est actus virtutis acquisite, qui iudicium prudentiale, non involvat, aut supponat; ita nullus est actus virtutis moralis infusæ, qui non includat, aut supponat charitatis imperium; quare idem S. Doctor 2. 2. quæst. 124. art. 2. ad 2. ait: *Martyrium est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis.*

E Ex hoc corollario solum manet præcipuum fundamentum alicujus Recentioris, qui contra nostram